



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

307. De conversione alterius latronis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



MEDITATIO CCCVI.

*Christus crucifixus irridetur, & blasphematur.*

I. **P**Rætereuntes blasphemabant eum moventes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salva te ipsum: si filius DEI es, descende de cruce. *Matth. 27. v. 39. 40.*

V. II. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus, dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in DEO: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia filius Dei sum. *Matth. 27. v. 41. 42. 43.*

III. Illudebant ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es rex Iudæorum, salvum te fac. *Luc. 23. v. 36. 37.*

IV. Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei. *Matth. 27. v. 44.* Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei. *Marc. 15. v. 32.*

MEDITATIO CCCVII.

*De conversione alterius latronis.*

I. Vnus



I. **U**Nus de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac teipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil malignavit. *Luc. 23. v. 39. 40. 41.*

II. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. *Luc. 23. v. 42.*

III. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. *Luc. 23. vers. 43.*

### MEDITATIO CCCVIII.

*Christus è cruce Matrem, & discipulum alloquitur.*

I. **S**tabant juxta crucem Iesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. *Ioan. 19. v. 25.*

II. Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. *Ioan. 19. vers. 26.*

III. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. *Ioan. 19. v. 27.*